

sius loci, & requisivit cives ad defensionem Terræ, qui contra ipsius velle Terram exeuntes, super campo tractaverunt cum inimicis: & se parti dederunt contra ipsius velle, quia non habebat gentes penes se, ut Cives posset constringere. Et vix quod ipse pactum habere potuit, exeundi Castrum Sacili cum sua familia.

Eo vero tempore per Summum Pontificem in Rectorem & gubernatorem Aquilegensis Ecclesiæ missus erat D. Ferdinandus Patriarcha Hierosolymitanus: & steterat circa annum in regimine. Cui pars Utinensium obediebat, & nos de Maniaco, & Collegati ejus. In crastino vero die, videlicet XII. dicti Mensis, (a) homines Canipæ, & Aviani portaverunt claves locorum Sacilum: seque viliter Domino Paduæ reddiderunt. Nam in Aviano erat S. Corsetus cum suis nepotibus, filiis olim naturalibus olim S. Rossii, ac Nicolaco & Marco fratribus quondam Ingerossii, instantes populo, ut se parti darent. Et sic invitis Gaspardo a Porta, Melchior quondam D. Pidruffii, Franculino de Cantono, & Simone quondam Musini, non audentibus contrarium dicere, se parti adversæ dederunt. In quibus locis, modum & ordinem dantes, pervenerunt dictæ gentes. Die vero Mercurii XVIII. dicti Mensis Septembris dictæ gentes cum majori numero, & cum gentibus ipsorum locorum supradictorum, de Brugnaria, & de totis locis & villis Tervisini districtus, putantes cætera loca vincere posse, & fortunam prosperam eis non deficere; cum infinitis curribus oneratis bombardis, lapidibus jactandis, balistris, malleis ferri, victualibus, & aliis ingeniis artificialibus nocivis, de consilio ut sensimus ipsius S. Corseti, & suorum de Aviano, & aliorum de Contrata, qui volebant nos de Maniaco suos fore similes in verecundia ipsis, putantes nos pavidos & tremulos esse; cum potenti manu dictæ gentes venerunt ante nobilissimum Castrum prædicti Montis, Tardinei antiquitus nominati, hodie vero Maniacum.

Inter quas gentes D. Jacobus naturalis dicti Domini Paduæ, qui dicebatur Comes Carrariæ, erat caput seu Capitaneus: & cum eo multi boni homines periti in armis, & de Foro-Julio nequissimus & infestissimus D. Rizzardus de Valvasono. Et posito eorum infelici campo, quidam Trombeta tubam sonavit, petens affidam: cui data fuit per nos de Maniaco. Et eo modo dictus D. Rizzardus, & cum eo quidam Antonius de Verona, qui fuit & erat Capitaneus S. Viti, affidam petentes: dataque fuit, & venerunt usque ad restellum sub porta Castri a latere versus occidentem. Tunc requisivit, ut aliquis de domo Maniaci eum & locum audirent. Tunc ex deliberatione facta inter Dominos Bartholomæum, Galvanum D. Baldassaris filium, Luchini & Odorici fratrum, Olvradinum quondam Bartholomæi, & aliorum fidelium vicinorum de Maniaco; ipse D. Luchinus intimidus, & amabilis toto populo, ipsum Castrum cum honorabili comitatu suorum fidelium associatus exiens, ad ipsius D. Rizzardi præsentiam veniens & aliorum, qui cum eo ibi venerunt: pro parte dicti infelicissimi Domini Comitatus naturalis, ipsum Castrum requirentes ex parte dicti Domini Comitatus filii dicti Domini Paduæ, dari in ejus manibus, non tentata ipsius vi & potentia: quod Castrum nomine D. Philippi de Alenconio Cardinalis in se custodiendum, & salvandum nomine dicti D. Philippi. Quod si eidem darent, multa promittebant se operari velle pro ipso D. Luchino, Fratre, & Confortibus suis penes ipsum Dominum Paduæ: & quod eos benigne haberet recommissos. Quibus

Tom. II.

(a) Scilicet Septembris anni 1387.

dictis, ipse D. Luchinus, Juvenis sapiens & provivus, præfatis responsum fecit: Domini vos bene veneritis ex parte vestri superioris. . . & volo quod bibamus insimul lætanter; eisque propinari fecit, & honorem reddidit. Qui hilares, suam intentionem putantes illico obtinuisse, gaudenter sumperunt præstitum honorem eis. Et stantibus in his verbis, multi de exercitu cum fallacibus animis simulantes, per rivum inter Castrum & Collem Grisollum armati cum palis ferreis, saponibus, & malleis ascendentes usque prope muros sub domo olim Luifini, ubi dicitur Abbatia, (ibi S. Bartholomæus ædificari fecerat stallam equorum unam sub domo prædicta,) nesciente D. Luchino, & qui cum eo erant. Sed custodes nostri stantes super muris, bene viderant; sed nihil dixerunt, quia trevua data erat inter partes, videlicet nos de Castro prædicto cum ipsis de exercitu; non considerantes malitiam ipsorum, & eos fallaciter venire: imo putantes, concordium sequi inter partes. Finaliter ipse D. Luchinus, tanquam Juvenis sagax & providus, multa providentia refulgens, constantique & robusto animo loquens ipsi D. infelicissimo Rizzardo, & ejus sociis, his verbis allocutus est, & responsum eis fecit: Domini vos nuncii per vestrum Comitum & Capitaneum missi, una cum ipso vestro Capitaneo & aliis suis sequacibus, latere non credimus, nos de Maniaco fore confederatos cum Ducali Dominio Venetiarum, & Utinensibus; & cum eis præstitisse nostrum Sacramentum, nostro posse partes eorum obtinere debere, & velle. Nostræ intentionis est, præstitum Sacramentum nostrum & promissionem nostram potenter velle obtinere, nec verbis nos permittere terri. Ite ad Utinenses, vel mittite nuncios vestros: hæc eis nota facite. Quidquid & ipsi per vos coacti facere facient, vel disponent nos facere debere; sic vobis promittimus indifferenter, & statim velle facere; & faciemus. Si secus vos cum potentia vestra contra nos fideles partis nostræ facere tentabitis, potenter nos tueri velle & paratos reperietis, fidem nostram datam prædictæ nostræ parti animo constante servare: robustos nos invenietis, & non trepidos. Et pro nunc a vobis non credatis nos pavidos esse, nec aliud responsum posse de nobis habere, quam quod istud felicissimum nostrum Castrum pro nobis intendimus servare: ipsumque contra vestram potentiam tueri, ac defendere velle. Quod si a manibus nostris ipsum subripere volueritis, non verbis, sed factis ipsum vos in caro pretio habere expedit. Et vos scire volumus, quod omnes in nostro Castro inclusi sumus unanimes, non claudicantes, & dispositi potenter ipsum Castrum obtinere velle ad honorem & statum S. Aquilegensis Ecclesiæ, & partis nostræ prædictæ, & nostrorum. Et his verbis, quamvis affida esset data inter partes; tamen ipsi de exercitu, tamquam homines infidi, non cessabant foveas facere pro eorum bombardis aptandis ad muros, ut ante scriptum est, venire.

(b) Sed quidam vir honestus, & valens, in armis peritus, nomine Joannes, natione Utinensis, Contestabilis sociorum XXV. qui missus fuerat in succursum Terræ infidelium Sacilensium per Utinenses, & Rectorem Venetorum qui in Utino moram trahebat pro Ducali Dominio Venetiarum; vadens per sub montes, cum applicuit ipse Joannes cum ejus comitiva Avianum, reperit Sacilum fore datum parti adversæ; & ipsi de Aviano jam claves ipsius loci Aviani miserant pro eorum nunciis Sacilum ipsi Domino infelicissimo Comiti; il-

n lico

(b) Cod. Maniac. Forte eo tempore acciderat, ut quidam vir.